

1595

Byzantium tuto contendere non posset, ut mari navigaret, Senatus jussit. Binæ illi, Antonio Justiniano damnatorum præfecto, triremes datæ, quibus in Aegæum ad eum locum, quem *Borci* vocant, æque Thessalonica ac Byzantio distans delatus, reliquum itineris terra conficeret. Per honorifice Byzantii Donatus exceptus, Mehemeti gratulatus, pacem veteribus conditionibus summa cum Reipublicæ existimatione fancivit. Ad eam firmandam haud parum temporum conditionem contulisse compertum fuit; quod tunc ancipiti bello Pannonico ac Dacico Turcæ premerentur, omnium mortaliū mentibus, ac præcipue Italiae Principum, in eorum exitus obversis.

*Ioannes
Franciscus
Aldobrandinus
cum
copiis pontis
ficiis in
Pannonicam
mittitur.*

Clemens ad opem Cæsari afferendam intentus, Ioannem Franciscum Aldobrandinum, nepotem, superiore anno in Hispaniam miserat, ut Philippum pecunia & copiis ad Rodulphum juvandum hortaretur: eundem postea ecclesiasticarum copiarum imperatorem creaverat, duodecimque peditum milium delectu in suis ditionibus jusso, equitum validam manum adjecerat. Quatuor sacerdotibus decumas in Italia injunxerat; cumque Reipublicæ octonas, quæ in assiduos sumptus atque in nova erigenda arce erogarentur, exigendas concessisset, quinquaginta aureorum millia sacratis viris ob Pannonicum bellum, permittente Senatu, indixerat. Aldobrandinus Venetas in itinere accessit, liberaliterque habitus, per Veronensem agrum, ac Tridentinos saltus in Pannonicam contendit. In superiore Maximilianus Cæsaris frater, Tiphembachio, in inferiore Matthias, Carolo Mansfeltio vices obtinentibus, bellum gerebant.

*Carolus
Mansfeltius in Strigonii oppugnatione
obit.*

Mansfeltius Strigoniū aggressus, veterem civitatem capit; novam cum arce quatit; divi Thomæ collem occupat; Turcas subSIDIA obseSSIS afferre conantes dissipat, cædit; propugnatores, colloquio petito, re infecta, discedunt. Inde Cæfarei acrius muralibus tormentis moenia urbis arcisque dejiciunt, perque ruinas ascensum moliuntur. At jam prope certa victoriæ spe Mansfeltius febre ac dysenteria correptus excedit; vir præcæ disciplinæ, militaris gloriæ illustris. Ei Burgravius castrorum Magister succedit; Cæfarei ea civitatis parte, quam vulgo ad aquas vocant, potiuntur. Jam in sup-

ple-